



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

33. De discretione potestatis Episcoporum quam in monasteriis habere  
possunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

rigantur : qui semel in anno , in loco ubi Episcopus elegerit , accepta vocatione conveniant. Monachi autem Abbatibus omni obedientia & devotione subjaceant. Quòd si quis per contumaciam extiterit indevotus , ac per loca aliqua vagari aut peculiare aliquid habere præsumpserit , omnia quæ adquisierit , ab Abbatibus auferantur secundùm regulam monasterio profutura. Ipsi autem qui fuerint provagati , ubi inventi fuerint , cum auxilio Episcopi tanquam fugaces sub custodia revocentur ; & reum se ille Abbas futurum esse cognoscat qui in hujusmodi personis non regulari animadversione distrikerit , vel qui monachum susceperit alienum.

De discretione potestatis Episcoporum quam in monasteriis habere possunt. *Ex Concilio Toletano IV. cap. I.*

XXXIII. Nuntiatum est præsentì Concilio , eò quòd monachi episcopali imperio servili opere mancipientur , & jura monasteriorum contra constituta canonum illicita præsumptione usurpentur , ita ut penè ex cœnobio possessio fiat , atque illustris portio Christi ad ignominiam servitutémque perveniat. Quapropter monemus [ eos ] qui Ecclesiis præsunt ut ultra talia non præsumant , sed hoc tantùm in monasterio sibi \* judicent sacerdotes quod præcipiunt canones , id est , ad conversationem sanctam præponere Abbates , aliáque officia constituere , atque extra regulam facta \* colligere. Quòd si aliqui in monachis canonibus interdictum præsumpserint , aut usurpare quip-

Concil. Tolet.  
4. c. 51.

\* vindicent

\* corrigent

piam de monasterij rebus tentaverint, non deerit ab illis sententia excommunicationis qui se deinceps nequaquam subtulerint ab illicitis.

De his quos parentes ab infantia clericatus officio manciparunt, si postea voluntatem habeant nubendi. *Ex Concilio Toletano cap. CXIX.*

Concil. Tolet.  
1. c. 1.

\* sub

**XXXIV.** De his quos voluntas parentum à primis infantiae annis divinis ministeriis tradiderit id statuimus observandum, ut mox detronsi vel ministerio lectorum traditi fuerint, in domo Ecclesiae \* ab episcopali praesentia à praeposito sibi debeant erudiri. Liberum tamen propriae voluntatis arbitrium habeant, ubi se clericatus officio mancipari elegerint. At ubi octavum decimum aetatis suae annum compleverint, coram totius cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuerit, & professionem castimoniae suae absque conjugali necessitate sponderint servaturos, hi, tanquam appetitores artissimae vitae, levissimo Domini jugo subdantur; ac primum subdiaconatus ministerium habeant, quod à probatione professionis suae à vicesimo anno suscipiant. Quod si inculpabiliter ac si inoffensè vicesimum & quintum aetatis suae peregerint annum, ad diaconatus officium, si scienter implere possent ab Episcopo comprobantur, promoveri possunt.